

2. D. B. V.

44.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

**DIARRHOEA  
PUERPERARUM,**

Quam  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ, INDULTU  
in  
ACADEMIA REGIA VIADRINA,  
PRÆSIDE

**DN. JOH. GEORG. à BERGEN,**  
MED. DOCT. ET PROFESSORE PUBL. ORDINARIO  
atque h. t. FACULT. SUÆ DECANO,

PRO

**GRADU DOCTORATUS**  
SUMMISq; IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRI-  
VILEGIIS RITE IMPETRANDIS,

*ad diem XXXI. Decembr. An. MDCCXXVIII.*

IN AUDITORIO MAJORI  
placido eruditorum examini submittit

Autor

**M. CHRISTIANUS PHILIPPUS  
KÖLLNER,**  
Wolavienf. Siles.

---

FRANCOFURTI ad VIADRVM,  
Typis Jo. CHRISTOPH. SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.



44

INSTITUTIO IN CHIRURGIA MEDICA

DIARRHOEA  
PULSERARUM

Opus  
GRATIONIS IN CHIRURGIA MEDICA

DR. JOH. GEORG. BERGEN

GRADU DOCTORATUS

M. CHRISTIANUS PHILIPPUS

KOLLNER

Woravitae 1712

FRANCOFURTI AD ALBEM  
Typis JOHANNIS KUNZLIUS, Acad. Reg. Typogr.



V I R O  
*MAXIME STRENUO, CONSULTISSIMO, DOCTIS-*  
*SIMOQUE DOMINO,*  
**DN. JOHANNI**  
**PRISTORFFIO,**

JCTO CELEBERRIMO,  
CONSISTORII REGII IN DUCATU WOLAVIENSI  
ASSESSORI ET SECRETARIO  
GRAVISSIMO,  
ILLUSTRISSIMI REGIMINIS WOLAVIENSIS  
ADVOCATO JURATO  
SPECTATISSIMO,

*DOMINO FAUTORI AC AMICO SUO QUAM MAXIME*  
*COLENDO,*


Hancce Dissertationem Inauguralem  
devota mente consecrat,  
Eidemque, ut in seram usque ætatem,  
**in Splendidissimæ Familiæ Solatium,**  
Reipublicæ Ornamentum,  
Clientum Præsidium  
Vireat & Vigeat,  
ex animo precatur  
M. Christ. Philipp. Köllner.

V I R O  
MAXIME STRUENS. CONSULTISSIMO. DOCTO.  
SIBI DE DOMINO.  
DNI. JOHANNI  
PRISTORFIO.

ICTO. CEN. BERLINO.  
CONSISTORI LEGI IN DUCATU WOLAVIENSI  
ASSessori ET SECRETARIO  
GRAVISSIMO.  
ILLUSTRISSIMO REGNI WOLAVIENSIS  
ADVOCATO JURATO  
SPECTATISSIMO.  
DIGNO IN URBE DE KARLO 220 QUAM MAXIME  
COLENDO.

Hanc Dissertationem Praeputantem  
devoce tunc conseruare  
feliciter in in terram rebus extantem  
in splendibilibus Familiis Solarium  
Republice Praesentium  
et Praesentium Praesidium  
Vires de Vires  
extantem praesentem  
M. Carl. Philipp. Köllner.





## PROOEMIUM.



Ullo inter omnes, quibus-  
cum puerperæ conflictari  
solent, morbos cum gravi-  
us, tum periculosius de-  
cumbere illas, quam di-  
arrhœa, sive alvi proflu-  
vio, non vanum, sed verissimum iudicio, fide  
& dexteritate probatissimorum Medicorum  
assertum est; Neque enim ullum puerperis ali-  
as familiare symptoma vel affectus ancipitis  
magis iudicii & eventus est, imo in quo cu-  
rando Medici magis hæsitent, quam teste  
*Roder. a Castro in Medicina Universali Mu-  
lierum P. II. Lib. IV. Cap. XIV. p. m. 307.*  
hoc cum puerperio coincidens alvi profluvium,  
quin & à quo semper plus mali & exitii pu-  
erperis Medicorum metuant plurimi, usque  
adeo, ut hinc non temere *Joh. Jac. Wald-*

A 3

*Schmidius*

*Schmidius Monitorum Med. de Puerperis*  
*Art. XI. p. m. 280.* scripserit, *alvi profluvi-*  
*um puerperis esse maxime infestum, inque iis*  
*semper quicquam monstri alere; aliorumque*  
sic clinicorum observationes per plurimis de-  
super puerperis funestum & exitiale id exti-  
tisse, abunde jam docuerint. Quare affectum  
puerperarum hunc tanti periculi & momenti  
cum recentiorum non pauci de puerperarum  
morbis ex professo alias commentati, vel si-  
lento prætermiserint, vel obiter saltem ejus  
meminerint, morbi genio vero & indole in-  
tacta penitus relicta. *Conf. Franc. Joelis Prax.*  
*Med. Lib. VIII. Sect. IV. p. m. 488. 489. Joh.*  
*Christian. Langii Oper. Medic. Practic.*  
*P. III. in suo Valetudinario Puerperarum p.*  
*m. 506. it. Caroli Mussitani Tract. de Mor-*  
*bis Mulierum Cap. XV. p. 201.* Non in con-  
sultum esse credidi, eundem speciminis inau-  
guralis loco accuratius paulo inspicere, at-  
que à quibus causis ad hanc puerperam frequen-  
tius disponantur, undeque tantum damni &  
exitii iisdem ab hoc immineat, clarius non ni-  
hil exponere. Faxit interea Benignissimum  
Numen, ut labor & institutum hoc meum, in  
Divini Numinis Gloriam, ac plurimarum pu-  
erperarum salutem cedat.

THES. I.





## THES. I.

**D**E diarrhœa ergo in puerperis rite acturus, non est, quod in limine dissertationis superflua moliar, atque affectum proluxa definitione descriptum eam, quandoquidem nemini non notum est, quid alvi profluvium, vel crebra & immodica ejus dejectio sit, aut denotet. Nec est, quod aliter spectem vel considerem hic puerperam, quam ut partum enixam primis puerperii diebus scil. tertio, quarto, quinto, vel sexto, quibus lochia ordine naturæ fluere & excerni solent, tali diarrhœa correptam.

## THES. II.

Quo vero frequentius accidit, puerperarum nonnullas fluxu hoc infestari, hoc exactius nosse, & diligentius expendere decet Medicum, qualis nam ille sit, num scil. puerpera illum ferat leviter, vel non sit adeo enormis, aut num sit plane immodicus, cum suppressione lochiorum, virium gravi prostratione conjunctus, inquietudinem valde suspectam, ingentem anxietatem, perpetuas vigilias post se trahens, quo tempore, vel primis statim vel postremis puerperii diebus sese prodat & manifestet, num à gravioribus partus symptomatibus, vel ab alia leviori quacunque causâ inductus sit, quas circumstantias quisquis minus sollicitè perpendit, hoc incertius semper de eodem fluxu format judicium, præsertim, num mali ominis præfagium, vel omnis periculi expers censeri possit aut debeat.

## THES. III

Distinguunt passim alii diarrhœam hanc vel in  
talem,

talem per quam totum corpus subinde exonera-  
tur, quamque sine dubio criticam esse volunt. *vid.*  
*Roder. a Castro loc. sup. cit. it. Daniel Sennertum Prax. Med.*  
*Lib. IV. p. II. Sect. VII. Cap. IX.* vel in symptomaticam,  
speciatim puerperis valde infestam. Sed mea fen-  
tentia, salva aliorum, criticas tales evacuationes  
alvinas in puerperis ratios longe pronunciare li-  
ceat, quandoquidem puerperis, qua talibus, eva-  
cuatio nulla magis convenit, magisque naturalis  
& utilis est, quam quæ fit per uterum. *conf. Joh. Mi-  
chael Prax. clinic. P. I. L. V. Tit. XII. p. m. 286.* Ex quo  
proinde est, quod plerique practicum in puerpe-  
ris tanta cum cautela purgantia vel admittant, vel  
plane rejiciant, imo non aliter ac venena fugien-  
da suadeant, *conf. Joh. Jac. Waldschmidium loco supra cit.*  
quoniam necessarium maxime lochiorum fluxum,  
in quo tota puerperarum salus consistit & vertitur,  
æque ac alvi fluxus præternaturales vel imminu-  
unt, vel plane impediunt & sistunt. Prætermitto  
alias, quas in corporibus puerperarum, tanquam  
graviter vulneratis spectandis, molestissimas tur-  
bas dent.

THES. IV.

Et quamvis à plerisque Medicorum credatur,  
omnia quæ alvum purgant, purgare quoque simul  
uterum, ceu intestino recto proxime incumbentem,  
quodque ipsum vel vinis medicatis purgantibus,  
contra suppressionem mensiū creberrime nec sæpius  
infauste ordinatis, vel per abortum plane ab acio-  
ribus purgantibus interdum excitatum, sic satis e-  
vincere videntur. Alia tamen & longe magis dispar  
ratio est puerperarum, utpote in quibus multo  
ma-

majora collecta sanguinis copia uteri moles, quã in non gravidis deprehenditur, hincq; necessario a laboribus partus & lochiorũ retentione plus difficultatis & periculi quã in non gravidis a mensũ suppressione omnino metuendũ est, sine dubio, quod præter majorem uteri infarctum, præter alia symptomata, uteri hæmorrhagiam diminutam pressio alias pede sequentia, puerperæ desuper a lochiis retentis in graves illico motus febriles conjiciantur. Apprime quippe & rectissime notat Celeberr. Stahlius, de lochiorum hac evacuatione: *lochii perperam succedentibus puerperas statim angustias & anticitates præcordiorum seu communia uterinarum hæmorrhagiarum incommoda pati, imo plurimos spasticos affectus intra universum abdomen, sed longe certius, quam in ulla alia hæmorrhagia, nisi cum vulnere sensibilis alicujus partis, in febriles exastuationes, imo uteri inflammationem incidere. vid. ejusd. dissert. de affectibus puerperarum Sect. I. p. m. 16.* cujus quidem rei ratio neque adeo mihi abstrusa, & potissimum in ipsius uteri tempore imprægnationis statu, & quem cum aliis abdominis partibus per vasa sanguifera & nervos habet, arcto satis nexu posita esse videtur:

THES. V.

Etenim cum certum sit, uterum sub ipso partu dolorificis admodum & spasticis motibus totam contentorum molem excutere, si contingat, uti sane plus sæpius contingit, vel ex malo puerperæ regimine, vel ab incautius suscepto aere frigido purgamenta uterina notabiliter in fluiditate sua alterari, v. g. grumescere, inspissari, fluxum lochiorum inde justo citius fatiscere, intra substantiam

B

uteri

uteri mere vasculosa & cellulosa sanguinem retineri, natura retentis excernendis crebrioribus post partum motibus spasticis acriter non tantum insurgit, ad sanguinem retentum excernendum, sed saepius ob dolorum simul atrocitatem, exquisitam uteri stricturam spasticam, indeque per reliquum corpus febriles exaestuationes inducit, imo mirabili quandoque sua agendi efficacia hunc suppressum lochiorum fluxum in aliquibus alia vicaria excretionem scilicet alvi crebriori dejectione refarcire intendit, cogendo illam superfluum fluidorum partem ad intestina, licet illa excretio non nisi imperfecta sit, & longe id non evacuetur, quod naturaliter quidem evacuandum esset. Qualem utique evacuationis uterinae mutationem saepe observare licet in mensium suppressione, quam superveniens interdum menstrua diarrhoea compensat & sublevat, sicuti mensium defectum menstruum alvi profluvium in rustica hoc modo sublevasse testantur *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. anno X. p. m. 374.* quin & in diminuto & cessante lochiorum fluxum alvum lubricam non sine admiratione puerperis quibusdam profuisse, testis fide dignus est Thom. Bartholinus, sequentia notatu in hanc rem dignissima referens: *Novi puerperas, quibus nulla lochia post partum successerunt, magno vitae discrimine, injecto vero clymate simplici alvo soluta convalescerunt. Cum uxor charissima filiolum meum Casparum enixa esset, parcissima praeter morem lochia fluxerunt, sed continua fere aliquot dierum diarrhoea sine ulla virium jactura purgata fuit. Dubitavi, per quas vias retracta sit materia ad intestina; longae viae sunt, nec hic per alvum cruor decurrit. Igitur vero mihi fit simile per alvum revelli & evacuari serum, quo alioquin diluitur*

*luitur sanguis & imprægnatur ad venas uteri patentes deducendas. vid. ejusd. Hist. Anatom. rarior. Cent. III. hist. XIX. p. m. 46. 47. Quibuscum similiter consentiant, quæ citatus Autor alibi collegit, nimir. parciolem lochiorum fluxum alvi liberale obsequium non tantum compensasse, sed lochiorum etiam suppressionem totum alterius puerperæ corpus plurimis hinc inde tuberculis mire defœdasse. vid. Act. Hassnien. Vol. II. p. m. 7.*

THES. VI.

Ex quibus omnibus rite quidem ab aliis passim observatis, si quis interea quaslibet puerperarum diarrhœas promiscue floccispandat, talique forte evacuationum vel commutationi vel compensationi paulo securius fidere velit, quasi nullius plane periculi in puerperis forent, neuti quam ille mihi justam puerperarum rationem & curam habere, neque pro illarum salute provide vigilare videtur. Neque enim his fidere tuto unquam convenit, quum nunquam per alvum evacuetur, quod non nisi per uterum naturæ lege evacuandum est; maxime si alvi fluxus virium qualemcunque jacturam, inquietudinẽ, valde suspectã, simulq; lochiorũ parciorẽ successum vel suppressionẽ inferant, qualia tanquam prava symptomata nequeunt non quemcunque alvi fluxum in puerperis monstruosum & suspectum facere. Quibus autem impune alvi profluvium sine ullo lochiorum defectu contingit, vel plane lochiorum vicem post partũ supplet, his robore & singulari naturæ vigore tale quid accidere, nemo facile est, qui incicias eat.

THES. VII.

Quemadmodum igitur ex allatis clare liquet, naturam lochiis non rite fluentibus, alvi profluvio, licet minus integre, minusque perfecte, uterinam subinde evacuationem supplere, ita vero simile videri posset, ab eadem lochii suppressione enormem diarrhœam simili naturæ motu in puerperis produci posse. Ast perraros ejusmodi casus esse, testis est experientia; plerumque gravis in puerperis suborta diarrhœa lochiorum fluxum immittit vel plane intercipit potius, quam quod inverso ordine diarrhœam lochiorum suppressio pariat, febres magis acutas, inflammatorias, motus convulsivo epilepticos, ipsamque deniq; mortem potius post se trahens.

THES. VIII.

Potiores autem magisque communes causæ, ad quarum contemplationem ordine dissertationis nunc ducor, puerperas ad diarrhœas frequentissime disponentes sunt sequentes (i) frigus extrinsecus vel artubus inferioribus, vel reliquo corpore improvide admisum. Artuum intuitu perversus ille ac a sana ratione prorsus alienus imperitarum obstetricum & plebejarum muliercularum mos dudum obtinuit, quo puerperis persuadent, pedum primo statim post partum tempore refrigerationem, suppositis plantis pedum rebus actu frigidis, stanneis aliisque, ad appetitum servandum vegetum conferre plurimum, licet id ipsum sæpissime non sine maximo illarum damno & detrimento fiat; etenim si multiplici experientia compertum est, menstruantibus nudis pedibus per frigidum pavementum inceden-

cedentes, vel iisdem aquæ frigidæ immerfis, in ventris tormina, menstruorum per quam facile suppressionem incurrere, quidni in puerperis, quarum constitutio longe est sensibilior, quæque levisimis de causis sæpe numero quam maxime alteratur, vel lochiorum negotium & successus, vel ventris inferioris digestio promptissime turbetur. Aut si contigerit, quod plerumque sub diuturniori partus labore evenire affolet, gravidam ventre inferiori plus justo refrigerari, facile fit, ut ventriculus & intestina flatulentiam contrahant, atque subortis tandem ventris torminibus alvi suspectus fluxus succedat. Quæ vera quoque ratio est, cur non absone Joh. Jac. Waldschmidius scribat: *morbos puerperarum ad unum fere omnes ex mala victus ratione & ex frigore suscepto ortum trahere.* *Monit Med loc. s. cit.*

THES. IX.

Inter animi affectus, (2.) præ cæteris ira & terror, puerperis nocentissimi; tanta enim iracundiæ in corpus humanum, totamque ejus œconomiam vis & efficacia est, ut partes fluidas æque ac solidas mirifice & profundissime alterent, illas stringendo, inordinate convellendo, vel plane laxando, has autem in motu impellendo, inque crasi sua & temperie insigniter mutando. Hinc quippe videas, æstro iracundiæ intempestivo percitos membrorum tremore, cordis palpitatione, motibus corporis convulsivis, plerumq; epilepticis vehementer agitados. Videas alios iratos faciei rubore, narium hæmorrhagia, vomitu vel diarrhœa biliosa, aurigine totius corporis, erysipelate derepente correptos, quæ pathemata omnia, si rite perpendas, vix quicquã aliud, quã

*applicemus*

valde turbulentum & solidarum & fluidarum corporis partium, commotionem manifeste ostendunt, quam si statui puerperarum, qui scil. quo tranquillior & quietior, tum animo tum corpore, est, hoc res illarum magis in tuto & extra omne periculum positæ sunt, necesse est ab iracundiæ effectu puerperis non levia impendere mala & incommoda, inter quæ non in frequens est diarrhœa biliosa, plerisque puerperarum exitiosa. Neque minoris periculi in puerperis terrore est, utpote cujus vehementia, uti homines toto sæpenumero corpore obri-gefacti extrinsecus stupent & pallent, ita fluida a corporis ambitu derepente ad cor & viscera interiora quoque pelluntur, naturalibus excretionibus vel menstruorum vel lochiorum subito & pertinaciter simul suppressis, impetuque fluidorum ad partes internas graviter ruente, qualis si ad renes vergat, urinæ serecio ultra modum intenditur, sin ad fistulam intestinale tendat, in plerisque fluxa nimis & copiosa alvus subsequi solet.

THES. X.

Ex remediorum censu (3.) purgantia temere & imprudenter puerperis exhibita, præsertim acria & resinosa, fortiter systema nervorum stimulantia, a quibus in puerperis diarrhœa infausta non tantum, sed desuper tanto certius lochiorum simul suppressio majori semper cum discrimine metuenda est. Nam sicuti menstruorum evacuationem ultra debitum perseverantem rhabarbari usum domare docet. Olaus Borrichius *Act. Hassnien. Volum. V. Observ. LXIV. p. m. 157. 158.* quin leve etiam purgans hæmorrhagiam uteri in femina 54. annorum scorbutica



tica & tenera feliciter curasse norant *Ephemer. Nat. Curios. Dec. II. an. IX. p. m. 219.* ita conceptu facillimum erit, a diarrhœa in puerperis ab acri purgante inducta, extemplo simul lochiorum fluxum fisti.

THES. XI.

Potulenta (4.) fermentata vel adhuc fermentescentia præ aliis causis non raro etiam puerperarum alvum turbant, sicque tragicum hoc symptoma, diarrhœam, inferunt. Quibuscum effectus ratione conveniunt itidem dulcia omnis generis copiosius sumpta, succi dulces fructuum fermentescibilium puerperis inconsiderate præbiti: ab his enim in primis viis exorta fermentatio intestina insolito modo stimulat, tandemque in alvi pro fluxum degenerat. Quare Medicorum suavis & consilio puerperis potius loco competunt potius ptisanæ, juscula hordeacea, avenanea, farinacea, juscula pullorum tenuia, cerevisia tenuis sive secundaria, eaque non nisi calidiuscula, quibus sanguis uterinus constanter probe diluitur, excretio lochiorum facilitatur, diaphoresis blanda totius corporis, ab omnibus aliis turbis liberi, promovetur, corpusque puerperæ non secus ac graviter vulneratum spectandum nullo victu crasso oneratur.

THES. XII.

Postremo victus (5.) crudus, justo crassior ex eodem capite puerperarum digestionem in ventriculo & primis viis facile offendit; cum enim febrilibus motibus valde obnoxia sint omnes puerperæ, in febribus autem, præsertim acutis, victum non nisi tenuem Hippocrates præscribat, facile liquet, cur puerperarum primis puerperii diebus

bus diæta excarnis esse debeat, aut siquidem ex  
victu error commissus sit, hanc infelici symptoma-  
te alvi profluvio luant illarum plurimæ.

THES. XIII.

Perlustratis hætenus causis variis, puerperas ad  
diarrhæas disponentibus, missaque ipsius morbi di-  
agnosi, utpote quam in superioribus thesibus clare  
non minus, quam prolixè, contineri jam quisque fa-  
cile perspicit, ad prognosin, ut brevibus accedam,  
instituti mei ratio nunc exigit. Rectissime autem  
hic præ aliis plurimis pronunciat Joh. Jac. Wald-  
schmidius: *melius esse alvum primis puerperii diebus  
siccam esse, rite interim fluentibus lochiis, quam si diar-  
rhæa coincidat, quæ semper aliquid monstri alit.* Ubi  
itaque contigerit, puerperam diarrhæa corripit,  
sed levi, quam sine virium ulla jactura tole-  
ret, sine lochiorum ullo defectu, in medentis  
omnino potestate positum esse autumo, hanc ap-  
propriatis remediis corrigere, eamque propterea  
omnis periculi expertem judicare. Ex adverso, si  
affectus primis statim puerperii diebus magna cum  
vehementia invadat, vel iracundiæ, vel terrori gra-  
viori succedens, cum gravi virium lapsu, lochio-  
rum imminutione, vel totali plane suppressione,  
stipatus, ultra 24. horas eodem, quo cæpit, tenore  
continuans, animum desuper perturbans, corporis  
statum inquietum reddens, hanc symptomaticam, pe-  
riculi plenissimam & plerisque puerperarum lætha-  
lem pronunciare necesse est.

THES. XIV.

Affectus tandem curationem aggressurus pro  
causarum diversitate eandem variam medenti in-  
stituen-

stituendam, adornandamque esse existimo. Atque quidem ab externo incaute suscepto frigore si fuerit illata diarrhœa, quantocyus puerpera blando & moderato calore reficienda est, suppositis plantis pedum, vasis sive lagenis stanneis aqua calida plenis, asseribus, lapidibus incalefactis, fovendo desuper abdomen & regionem umbilicalem sacculis siccis calidis, ex herbis uterinis & stomachicis scil. herba rutæ, calaminthæ, serpilli menthæ, mellissæ, salviæ & similibus paratis, vel imposita crusta panis tosta, aromatibus conspersa, & aquis spirituosus irrorata v.g. aqua apoplectica reginæ hungariæ, vitæ mulierum, menthæ, cinnamomi &c. interne vero dando Essentiam corticum aurantium, zedoariæ, helenii, scordii, galangæ, in dosi refracta, cavendo, ne calidioribus stomachicis vel alexipharmacis motus febriles concites.

THES. XV.

Animi affectibus sive irecundiæ sive terrori, si successerit aut supervenerit affectus, sedulo vitanda sunt ante debitam materiæ correctionem sive mitigationem, quævis adstringentia & opiata. Sunt autem præstantissima hic corrigenia, sic dicta testacea sive ostracodermata, ut chelæ canerorum præparatæ, mater perlarum, ppt. oculi cancri, itemque crySTALLUS montana præp. corallia rubra præparata, unicolor. fossile, marinum, quæ frequentioribus vicibus ter de die ad grana xvij. xx. vel etiam singulis sex horis dari possunt. Mitigata his sufficienter biliosa materia, prædictis terreis levisima dosis rhabarbari ad grana viij. x. cū nitri depurati granis iij. iv. addatur, scopo hanc per alvum placide

C

eva-

evacuandi, substitutis tandem his stomachicis & tonicis v. g. Essentia corticum aurantium, Essent. gentianæ rubr. ad guttas 30. vel 40. semel vel bis de die, aut additis pulveribus absorbentibus, theriac. cœl. gr. fs. vel tinct. opii veræ gutt. xij. vel mas. p. de cynoglossa gran. i. non neglectis externis fomentis tonicis, sub quorum usu diluentia potulenta continuare, vel nisi febris impediverit metus, quicquam subinde vini rhenani addere scopo confortandi convenit.

TRES. XVI.

In diarrhœa ab imprudenter exhibitis purgantibus demulcentia juxtaque diluentia omnem absorbunt paginam. Quo scopo lac tepidum omnibus aliis præferendum esset, nisi usum ejus, ingens illa puerperarum ad motus febriles proclivitas impediret. Igitur hujus loco sint juscula avenacea, pullorum diluta cum pulveribus absorbentibus ex supra dictis, quibus blanda opiata subinde jungere non inconveniens erit. Diarrhœæ quoque ab abusu dulcium inductæ omnium optime medentur fermentationem in primis viis mature sistentia, qualia sunt diluentia cum variis terreis permixta, quibuscum externa ventriculum confortantia & tonica tempestive juncta medentem scopo suo excidere raro permittunt, sed ipsam puerperam a suspecto hoc alvi profluvio liberant feliciter.

THES. XVII.

Tandem a crassiori victu & pravo diætæ regimine si ventriculus offensus & moleste cum fistula intestinali stimulatus fuerit, mera blande roborantia stomachica thesi XIII. commendata debita circumspeditione adhibita hoc digestionis & imbecillitatis vitium facile corrigunt. FINIS.

S. D. G.

01 A 6605


ULB Halle  
003 092 054


3



V. 17  
K. 18







2. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**DIARRHOEA  
PUERPERARUM,**

Quam  
*GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ INDULTU*  
in  
*ACADEMIA REGIA VIADRINA,*  
PRÆSIDE  
**DN. JOH. GEORG. à BERGEN,**  
MED. DOCT. ET PROFESSORE PUBL. ORDINARIO  
atque h. t. FACULT. SUÆ DECANO,

*PRO*  
**GRADU DOCTORATUS**  
SUMMISq; IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRI-  
VILEGIIS RITE IMPETRANDIS,  
*ad diem XXXI. Decembr. An. MDCC XXVIII.*

IN AUDITORIO MAJORI  
placido eruditorum examini submittit  
Autor  
**M. CHRISTIANUS PHILIPPUS  
KÖLLNER,**  
Wolaviens. Siles.

---

FRANCOFURTI ad VIADRVM,  
Typis Jo. CHRISTOPH. SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.

